

A. queuntis allicere ad se bilem familiarem humorem, aut expultricis exoletatē huiusmodi materiam tanquam noxiā animanti ad intestina, & vesicam dum valet extrudere solet, vel quoniam instrumenta, & viæ, per quas ferri consuevit, sunt obturata, vel à comprimentibus, vel obstruentibus: Nam reliqua quæ claudendi meatus vim habent, ut adstringentia, densantia, conglutinantia, quæque subsidere faciunt concavitates, contractis vasorum tunicis locum haudquam habent in meatibus internis ad bilis expurgationem destinatis, vel etiam quod materia aliquando sit crassior, aut copiosior, quam attrahi expurgarique possit, idem accidit. Iam verò secesserunt moueturque bilis ad cutem vi expultricis facultatis per morbos importunè, aut etiam tempestiuè irritatae. Qua ratione regius morbus ante septimum, & in ipso septimo, & post illum etiam in febribus contingit. Quorum omnium causa ab alijs nascuntur, & illæ rursus ab alijs, donec peruentum sit ad quatuor rerum genera, quæ omnes in corpore nostro mutationes moluntur, ad ea (inquam) quæ assumuntur, extrinsecus afficiunt, excernuntur, & retinentur, vel à nobis solis, aut cum alijs geruntur. Quem quidem progressum quum B. vniusquisque admonitus ex superioribus exemplis facere possit. Atque in hoc, & prædictis exemplis singula animaduertere præcepta, quæ superius sunt comprehensa. Nihil aliud in hac re superesse video, quam vt ad ea, quæ sequuntur, transeamus.

Designis, & prædictione quid dicere oporteat.

Cap. XI.



IENORVM quædam esse, quæ præterita, alia quæ præsentia, alia verò quæ futura monstrant, ab omnibus medicis est receptum. Qua quidem in re illud imprimis videndum est, an de omni genere in consultationibus sit differendum, & quo loco de singulis dicendum. Constat profecto omnia ea signa in usum venire; quandoquidem oportet quæ præsentia sunt dignoscere, & futura prædicere, & sæpe quæ præterita sunt commemo-
C rare. Sic enim diariam esse febrem, quæ hominem urget, & nequaquam putridam agnoscimus, si præteritæ vigiliæ, vel alterius causæ evidentis, à qua sit nata, notæ in corpore appareant. Par ratione malignum ulcus & periculosum censemus esse, quod ferè intulerunt: quin & ex ulceris natura, & qualitatibus quid præcesserit, deprehendimus. Verum demonstrativa, & memorativa signa peculiarem, & seu in consultationibus tractationem, (vt antea quoque ostendimus) haudquam obtinent; sed cum rebus præsentibus, quarum cognitionem querimus, semper coniunctam. Neque enim assertere possumus aliquid esse in corpore secundum naturam, aut illi contrarium, & hoc vel morbum esse, vel illius causam, aut symptomam: nec istorum genera, aut differentias dignoscere possumus; nisi signa statim adferantur, quæ ostendant ita esse. Sic sanè dicimus (si forte contingat de eo deliberare) hominem febre laborare, quoniam signa statim adferuntur, quæ rem eo modo declarant, illam quoque putridam, simplicem, tertianam, benignam, aut denique alterius generis, vel differentiarum esse, quoniam protinus id testantur illorum notæ, quæ partim ex prægressis causis, partim ex his quæ ad D sunt, petuntur. Quare demonstrativa, & memorativa indicia statim ab initio, & alibi toties, quoties ostendendum est aliquid esse, veniunt in usum. At prædictiones tunc solum locum habent, & cum quidem separatum ab omni tractatione, & proprium, quum iam de natura generibus, differentijs affectuum, causarum, & symptomatum disputatum est. Ex illis enim omnibus colligere nitimus, quid sit futurum. Ex quo illud pariter innotescit, quid sit agendum, naturæ ne vniuersum negotium commit tendum; aut etiam tentanda attis præsidia, ut nihil moliendum, in rebus prorsus desperatis. Sic sanè medicos omnes facere videmus, vt postea quædam prædicta omnia explicauerint, dicant sibi agendum esse de eo, quod ad prognostica attinet, tanquam id propriam, & seu in consultationem obtineat: alia vero signa obiter sint commemoranda, quum genera, differentias affectuum, causarum, & symptomatum, quæ corpus infestant, recensemus. Iam verò quum illud pateat, de quibus signis sit agendum in consultationibus, & quo loco singula sint excutienda, sequitur, vt doceamus, quænam oporteat per suas notas ostendere. Quod quum iam pateat in rebus præsentibus, & præteritis; si quidem E omnia illa, quæ cognitu necessaria hactenus diximus, sua postulant indica, relinquuntur, vt ea solum percurramus, quæ ad futura pertinent. Inter quæ illud primum locum sibi vendicat, vt explicemus quem finem res sit habitura, de qua agimus, quando nec solutionis modum, nec tempus, nec aliud quicquam, quod ad futura pertinet, hoc ignorato, intelligi potest. Quo posito mutationis tempus prædicere oportet, an cito scilicet vel tardè, quo die, quæ hora, denique quo tempore accidet, quod futurum prædictum. Tertio modum præfigere necesse est ipsius mutationis, quod scilicet vel pa latim, vel confertim ea continget; quodque ea vel magna, vel parua futura sit. Quarto præfigendum erit, cuiusnam beneficio naturæ, vel artis potius, aut utriusque opera, vel alijs id continget, quod prænunciamus venturum. Quinto succedit mutationis qualitas, an scilicet facilis erit vel diffi cilis, fida, vel infida, perfecta vel imperfecta. Sexto per quæ mutatio fiet, ignorare non oportet, an exercitio, vel alteratio, aut concoctio, aut nutritio, vel aliud quidpiam sequetur, quod finem imponat,

Ioan. Argent. De Consultandi Rat.

G mutatio-